

2121

## LITURGICI.

2122

cuore. *elo non de dubitare de la sua salute.* Interrogationes hae latine habentur in edit. *Opp. Anselmi Paris.* 1721. p. 194. f. et bis *Vol. I.* a me relatae sunt.

## DCCCLXXVIII.

- U. 662 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 606. 8. maj. eleganter exaratus, rubricis enotatus, olimque ejusdem *Job. Fabri*, itidem *Breviarium* est, et quidem ad *Bobemiam* pertinens, ut fidem faciunt Divi Tutelares Regni in *Calendario* praevio minio distincti. Inter Officia de Sanctis *fol. 595.* comparet *Caroli M. Imperatoris confessoris non pontificis*, et *fol. 599. Longini martyris.*

## DCCCLXXIX.

- U. 660 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 616. 4. min. bene quamvis non una manu perscriptus, coloribus illustratus et anno 1533. *Matbaei Mlakbar Isauratii*, pariter *Breviarium* est, et quidem Dioec. *Salisburgensis*, ut in praefixo *Calendario* mense Martio *Depositio S. Rudberti ep.* Junio *Erndrudis v.* Septembri *Translatio S. Rudberti ep.* et *Virgilii ep.* Novembri *Depositio S. Virgilii* rubricata denotant, item in ipso decursu *fol. 543. p. 2. Finita collecta fiat processio ad sanctum Rudbertum.* *fol. 545. p. 2. In dedicatione ecclesie que celebratur proxima die post rudberti in ecclesia salzburgensi,* et *fol. 549. p. 2. Finita oratione fiat processio ad san-*

*ctum Virgilium.* Oratio in utraque dicenda incipit: *Omnipotens sempiternus deus altare hoc nomini tuo dedicatum &c.* Qui hodie ad recitandas Horas canonicas tenentur, comparent ordinatissima Exemplaria sua cum vetustis ejusmodi *Breviariis*, et de commodis suis sibi gratulentur.

## DCCCLXXX.

- Codex membraneus lat. Sec. R. 17 XV. Folior. nunc 481. f. primum lineis longis, dein a *fol. 87.* per duas columnas, probe scriptus, coloribusque varius sacrum Chori Officium, quod vulgo *Breviarium* audit, complectitur, pertinuitque olim ad Ecclesiam Metropolit. *Strigoniensem* in *Hungaria*, ut liquet e sequentibus. Praeit *Calendarium*, in quo miniat *Gerardus, Adalbertus, Ladizlaus, Stephanus &c.* Regni Tutelares. Ad *Februarium* manu Sec. XV. notatur: *Anno domini 1465. prima die Mensis Februarij Obiit Rmus dominus Dionisius de Zects Titt. Sancti Ciriaci presbiter Cardinalis Archiepiscopus Strigonien. et in Regno Hungarie legatus de latere &c.* Ad *Julium* eadem, qua *Calendarium* scriptum est, manu: *Anno d. M° CCCC° XXI. feria sexta proxima ante festum sancte (Margaritae Virg.) hora serotina obiit venerabilis bone memorie dominus petrus prepositus Ecclesie Strigonien. cujus Viri etiam Epitaphium hiulcis constans versibus ad marginem inferiorem legitur, in quo audit:*

Y 2

Pau-